

in Lusitania habere monasteria, opera cujusdam religiosi, quem virum sanctum fuisse, et Franciscum Vascom fuisse appellatum, historiæ referunt. An vero ille fuerit socius aut discipulus Petri Fernandez, et aliorum eremitarum S. Bartholomæi, necne; item an in principio monasteria Lusitaniæ et Castellæ habuerint inter se unionem et subordinationem, mihi non constat. Solum est certum eandem regulam Augustini, eundemque finem ac vitæ modum, et sub eodem inter se habitu professam semper fuisse. Et ita, licet antea diversas congregationes sub distinctis Generalibus constituerent, facile potuisse postea in eandem coalescere, et unum communem Generalem eligere, ut nunc faciunt.

11. *De ejusdem instituto et observantia.* — De toto ergo hoc ordine, certum est unum esse ex præcipuis monachalibus, qui contemplativam vitam principaliter profitetur, maximeque excellit in cura divini cultus et cæremoniæ ecclesiasticarum, et in choro et psalmodia, cum magna quiete, ac devotione, ac temporis diurnitate. Est etiam valde observans in clausura, et silentio, et in victu et vestitu sufficientem observat non solum religiosam modestiam ac mediocritatem, sed etiam austeritatem. De quibus rebus omnibus præter Augustini regulam, habet proprias constitutiones suo instituto optimas, et accommodatissimas, in quarum observatione peculiarem curam et rigorem profitentur. Et hinc fit, ut hæc religio in sua prima institutione et observantia fere semper duraverit, habueritque multos viros religione insignes. Gaudet etiam multis privilegiis Pontificiis vel propriis, vel per aliorum communicationem. Circa quæ omnia nihil occurrit peculiarem habens dubitationem, aut declarationem postulans.

12. *Qui sint alii ordines ejusdem nominis S. Hieronymi, sed tamen diversi.* — Solum superest annotandum, præter hunc ordinem S. Hieronymi, quem suo modo per Italiam diffusum esse diximus, esse alios in eadem Italia, qui ejusdem nominis S. Hieronymi nuncupantur. Unus dicitur *Jesuatorum S. Hieronymi*, a Joanne Columbino Senensi fundatus, et ab Urbano V, Pontifice Maxime, anno 1467 approbatus fuit. In multis autem differunt hi religiosi a nostris Hieronymianis. Primo, in regula, nam, licet in principio receperint regulam Augustini, postea dicuntur accepisse propriam a quodam suo religioso,

Episcopo electo, cum approbatione Pontificis. Secundo, in habitu, nam utuntur caputo quadrato a cervice ad humeros dejecto, et pallio canusino; tertio, maxime distant in vitæ instituto, quia sacris non initiantur; unde nec chorum, nec alia sacra ministeria profitentur, sed aliis precibus more laicorum, Orationem Dominicam, et Angelicam recitando occupantur, et more antiquorum monachorum manibus laborant, et inde sustentantur. Unde constat hujusmodi religionem proprie monachalem esse, et in ea vestigia quædam antiquitatis conservari, quod Ecclesiæ Christi valde utile est. Pius autem V, ut supra, lib. 4, c. 8, dixi, inter mendicantes etiam numerari voluit, quia non repugnat monachalem ordinem esse mendicantem, quoad paupertatem et privilegia. Aliæ vero duæ congregationes, quæ sub nomine Hieronymi in Italia militant, ad hunc locum non spectant. Nam una earum quæ dicitur Petri Pisani, ex institutione sua non est vera religio; quia nec vota substantialia in ea fiebant, nec regula aliqua approbata servabatur. Aliqui tamen referunt Pium V fecisse, ut sub regula Augustini omnes hujus instituti professores tria vota emitterent. Alii dicunt Pium V hoc intentasse, sed, morte præventum, non potuisse perficere¹. Altera vero familia, quæ vocatur S. Hieronymi in Fesulanis, licet dicatur esse religio approbata a Gregorio XII, magis tamen accedit ad religiones mendicantes, quam monachales, ut intelligi potest ex Paulo Morigia, in sua historia religionum.

CAPUT VI.

UTRUM RELIGIO PRÆDICATORUM UNA SIT EX MENDICANTIBUS, QUAMQUE ORIGINEM ET INSTITUTIONEM HABUERIT?

1. *Ordo servandus circa religiones mendicantes.* — Post religiones monachales dicendum sequitur de mendicantibus, quæ post illas inceperunt; et licet in multis cum illis conveniant, ab eis differunt, ut diximus, tam in fine, quam (quod consequens est) in multis observantiis, et conversatione vitæ: multumque participant de clericorum statu ac ministeriis; et ideo veluti mixtæ et mediæ inter monachales et clericales religiones censeri pos-

¹ Azor., lib. 3, cap. 11; Hier. Rom., lib. 6 de Repub. Christiana, c. 22.

sunt. Incipimus autem a religione Prædicatorum, non quia instituamus dignitate vel antiquitate eam aliis præferre (has enim comparationes omnino in hoc opere vitamus, quia non sumus inter eas judices constituti), sed quia in jure hoc ordine ponuntur: *Prædicatorum, Minorum, Augustini, et Carmelitarum*, c. unico, § *Sane*, de Relig. domib., in 6; et in Motu proprio Pii V, edito anno 1567, qui incipit *Romanus Pontifex, tam universalis*, etc.; et rursus altero incipiente *Apostolica Sedis benignitas*. Hunc ergo juris ordinem sequemur, quia hoc etiam juri magis consentaneum est, ut notavit Glossa, in c. *Cum dilecta*, verb. *Transponentes*, de Rescriptis; Felin., in rubric. de Majorit. et obed., n. 5 et 6. Cur autem jura hunc ordinem servaverint in his religionibus numerandis, statim in n. 3 attingemus.

2. *De fundatore religionis Prædicatorum.* — Hæc igitur sacra religio auctorem habuit magnam Ecclesiæ propugnatorem, S. Dominicum, cujus vita et sanctitas potissima est, et gravissimis viris late conscripta. Inter alia vero videri possunt præclaræ hujus viri sanctissimi prærogativæ in ejus ordinis constitutionibus, d. 1, c. 15, lit. E, in Declarationibus. Initium autem ejus fuit tempore Innocentii III, et Concilii Lateranensis sub illo celebrati, anno Domini 1245, ad quod B. Dominicus cum Episcopo Tolosano accessit, ut cum Summo Pontifice sui instituti rationem communicaret, ejusque approbationem et confirmationem ab eo obtineret. Pontifex autem, quamvis de Dominico summam opinionem haberet, ejusque cogitationes, ac desideria valde probaret, quia tamen res nova videbatur et difficilis, maturius de illa deliberandum censuit; remisitque S. Dominicum, ut cum sociis suis aliquam ex regulis approbatis eligerent, ad quam suum institutum, et vitæ rationem accommodaret; atque ita benedictionem suam et approbationem postea obtineret. Quod vir sanctus intra breve tempus perfecit, et regulam D. Augustini elegit cum Consensu sociorum: quibus etiam (ut historiæ¹) tunc placuit adjungere constitutiones aliquas ex Præmonstratensi ordine desumptas, quæ maxime ad rigorem vitæ, et observantiam religiosam pertinebant. Qua deliberatione ac institutione facta, Dominicus Romam rediit, de promissione Pontificis certus, ut confirmationem ejus obtineret. Invenit au-

tem Innocentium jam defunctum, et Honorium III in Sede constitutum, apud quem non minorem gratiam invenit, statimque sui desiderii complementum accepit.

3. *Ejus approbatio inter primas solemnes.* — Atque ita ejus ordo approbatus fuit ab Honorio, in initio Pontificatus sui, anno Domini 1216, solemniter, et litteris expeditis in hæc verba: *Honorius Episcopus, etc. Nos attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei, et vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris et possessionibus habitis, et habendis, et ipsum ordinem, ejusque possessiones, et jura sub nostra gubernatione et protectione suscipimus.* Unde hoc videtur esse unum ex propriis privilegiis hujus religionis, quod prima fuerit inter religiones omnes, quæ similem approbationem solemnem, et authentice scriptam statim in ortu suo obtinuerit, ut affirmat Pius V, suo Motu proprio 69, *Divina disponente*, dicens, sacrum ordinem Prædicatorum inter mendicantes ordines primo fuisse ab Ecclesia approbatum et confirmatum. Ante Concilium enim Lateranense non erat adeo usitatum in Ecclesia similem approbationem expectare, ut in superioribus vidimus; sed necessitas ejus ab eodem tempore Innocentii III, et in eodem Concilio Lateranensi indicta est, et præceptum latum, ne quis deinceps novam religionem inveniret, cap. ult., de Religios. domib., scilicet absque speciali et expressa Summi Pontificis approbatione. Et quamvis ante illud Concilium B. Dominicus et Franciscus de suis religionibus instituendis tractarent, tamen, eodem spiritu moti, et quia fortasse jam tunc religiones non ita approbatæ minus bene audiebant, uterque ad Innocentium III pro hujusmodi confirmatione obtinenda accessit; sed antecessit Franciscus, quia, licet esset religione et ætate junior, patria erat propinquior, ut Antoninus notavit, 3 p., tit. 23, c. 1. Prius ergo approbationem obtinuit, sed solo vivæ vocis oraculo; nam approbationem solemnem habuit multo post ab Honorio III, anno 8 sui Pontificatus, et 1223 Incarnationis Dominicæ. Ob hanc ergo causam dicitur ordo Prædicatorum primo approbatus et confirmatus; tali scilicet modo, et ritu solemniter. Atque ratione hujus solemniter approbationis verificantur, quæ de prioritatem temporis ordinis Prædicatorum afferuntur in ejus Constitutionibus, d. 1, cap. 15, lit. I, in declarationibus.

¹ *Dicta Prædicatorum religio est perfecta, etiam quoad formam vitæ, ex activa, et con-*

¹ Castillo, lib. 4, c. 47.

templativa mente.—Unde constat primo hunc ordinem esse veram et perfectam religionem; nihil enim ex omnibus, quæ diximus necessaria esse ad hunc statum, in eo desiderari potest. Dico autem esse perfectam, non solum quoad ea quæ sunt de substantia talis status, quod est per se notum, sed etiam quoad gradum seu excellentiam instituti; quod, ut sæpe diximus, ex finis nobilitate, et mediorem ad illum assequendum aptitudine dignoscitur. Et quidem finis is est, quo excellentior religioso statui præfigi non potuit (propria, scilicet, cujusque religiosi spiritualis perfectio, et proximorum æterna salus), ut facile intelligitur ex iis, quæ superiori libro, c. 6, a n. 8, cum D. Thoma et aliis plerisque ostendimus; et tractatu sequenti, lib. 1, c. 7, a n. 3, ex eodem fundamento, seu excellentia finis, iterum circa Societatem docebitur.

5. *Salus proximorum videri unicum ordinis Prædicatorum finem.*—Est autem hoc salutis animarum propositum adeo ingenitum huic sacro ordini, ut videri posset in hunc solum finem institutus. Primo, quia B. Dominicus hinc plane sumpsit occasionem illius instituenti, quod videret Christi Ecclesiam a desertoribus hæreticis magna in dies pati detrimenta. Secundo, quia Pontifices dictum ordinem vel primum approbantes, vel deinde approbatum confirmantes, nomen *Prædicatorum* (quod munus proximi bonum respicit) appropriate donarunt; ut in prologo ipsarum constitutionum, et latius in earum declarationibus, dist. 1, c. 15, lit. I, refertur. Eundem quoque ordinem variis privilegiis munierunt Pontifices, hoc alleeti motivo, quod ad prædicandi officium fratres destinarentur. Unde hujus finis, tanquam unici, mentio fit in bulla confirmatoria, et in dicto prologo Constitutionum, n. 3, his verbis: *Ordo noster specialiter ob prædicationem, et animarum salutem ab initio noscitur institutus, et studium nostrum hoc debet principaliter attendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse.*

6. *Vera resolutio.*—Sed revera magna esset perversitas, propria neglecta, alienæ salutis finem intendere, utpote contra debitum charitatis ordinem, ut ex propria materia constare potest. Item, quia amor proximi ex Dei amore, in quo propria consistit perfectio, quodammodo resultat. Qua ergo ratione salus proximi promoveretur, absque amoris Dei intentione? Ad hæc, omnis vera, approbataque religio, qualis est hæc, de qua

loquimur, primario ordinatur ad perficiendos subditos, sive ad alios etiam perficiendos extendatur, sive non. Præterea multa in hac religione exercitia, media sunt ad perficiendos ipsosmet religiosos ordinata; ut oratio, jejunia, austeritatesque aliæ, de quibus statim; non ergo aliorum salutem, prætermissa propria perfectione, tanquam finem unicum sibi proposuit. Denique hoc ipsum aperte satis dicitur in ipsarum constitutionum declarationibus, dist. 1, c. 15, lit. C, ad illa verba: *Promitto, etc.*, ubi exprimitur finem religionis (utique quoad suos) esse charitatis perfectionem.

7. *Dilutio eorum, quæ n. 5, sunt allata.*—Quæ autem in contrarium allata sunt, id tantum probant, salutem proximorum esse finem principaliter intentum in hac religione, ab eaque impense procurari, non tamen qui excludit finem etiam principalem perfectionis propriæ, ita ut ambo unum totalem conflent: quod etiam de nostra Societate in sequenti tractatu, lib. 1, c. 2, disseremus; ubi simul declarabimus quid in hoc fine peculiariter vindicet, ad sui distinctionem ab aliis religionibus, quæ illum quoque totaliter sibi præfixerunt. Similiter, quod ad *Prædicatorum* nomen attinet, novum non est, appellationem accipi aliquando ab una tantum parte, ac magis particulari finis, quam sit propria perfectio, quæ (ut diximus) communis est omni religioso statui. Et in materia propria exemplum suppetit. Nostra enim religio ideo ab Apostolica Sede *Societatis Jesu* nomine fuit donata, quoniam ipsi Christo in salute animarum multis modis cooperatur. Unde nuncupatio hæc voce quidem diversa est, re autem ipsa, prædicandi munus, quod pro hæreticis reducendis a S. Dominico opportunum ac sufficiens judicatum est, complectitur, et ad minora alia, sed non minus fructuosa, rudiorum instruendi ministeria extenditur. Cum tamen S. Ignatius partem alteram finis, propriæ, nimirum, perfectionis cujusque nostrum explicite proposuerit in constitutionibus. Non ergo nomen *Prædicatoris*, aut *Societatis Jesu*, aut simile aliud, proximorum salutem respiciens, propriæ salutis ac perfectionis finem excludit.

8. *De castitatis custodiendæ cura.*—Jam, quod ad media prædicto fini idonea spectat, si consideretur pars illa finis, quæ est propria perfectio, constat in hac sacra Prædicatorum religione non desiderari. Imprimis enim de tribus substantialibus votis ordina-

riis, manifestum est perfecta satis in ea nuncupari. Non enim partialem castitatem, ut militares aliquot religiones, sed omnem omnino materiam complectentem Prædicatores profitentur. Sed quia id etiam vulgare est alicui religioni militari, nedum reliquis non militaribus, in cura certe prædicti voti observandi non vulgaria media adhibent. Hic enim ordo est imprimis de B. Virgine, quæ plane omnigenæ castitati studiosissime patrocinator, singulariter bene meritis; quippe cujus fundator S. Dominicus receptissimam in Ecclesia devotionem, Rosarium Virginis introduxerit; atque etiam ut n. 12 referam, vestis formam ab eadem B. Virgine acceperit, quæ candore suo puritatem, nigrore autem pœnitentiam, quæ puritatem fovet, significabat. Abstinentiam quoque perpetuam a carnibus, atque etiam a cœna non minore parte anni, statuto præscripsit. Cura denique honestatis et decentiæ in cubando, ac diligens communis dormitorii clausura de nocte, in eisdem statutis prætermissa non est, ut patet in d. 1, c. 9 et 10. Satis igitur perfecte probujus voti observatione, media providit Dominicanum institutum. Adde religionem hanc sacræ doctrinæ, tam scholasticæ quam positivæ, studiis esse deditissimam, quæ quantopere a lapsibus contra castitatem avocent, ex D. Hieronymo, et ex ipso experimento didicimus, quemadmodum scite consideratum est in dictis declarationibus, d. 2, c. 14, n. 1, lit. A.

9. *De paupertatis rigore.*—Quod attinet ad paupertatem, si ad eos stimulos attendamus, quos ad illius rigorem sensit ejusdem ordinis fundator Dominicus, nihilo minores apparebunt, quam rigoris illius, quem S. Franciscus unice coluit. Nam licet a principio S. Dominicus ac tota familia, more Canonice regularium, quoad habitum ac bonorum dominium in communi viverent, ut lib. 1, c. 8, n. 8, attigimus, non multo post S. Francisci exemplo (ut ejus annales tradunt) in primo generali Capitulo, cui præfuit, omniprorsus dominio, etiam in communi renuntiatum est, ac bona eo usque possessa, qua donatoribus, qua sui ordinis, qua Cisterciensibus quoque monialibus relicta fuere. Quin etiam in eodem generali capitulo institutum est, ut soli calices ad sacrificandum admitterentur ex argento; ut non nisi ex vili, sed mundo panno, sacræ vestes conficerentur. Lecti præterea ac vestitus ratio satis parca describitur in citato c. 9 et 10. Denique circa habitationum paupertatem, in d. 2, c. 1, n.

3, ita decernitur: *Mediocris domos, et humiles fratres nostri habeant, nec permittantur curiositates, superfluitates, etc., quæ paupertatem nostram deformant.*

10. *Is rigor dispensatur ad communes redditus.*—At enim quod ad communes redditus attinet, quoniam experientia monstravit varia ordinis detrimenta, præsertim in studiis litterarum, ad finem illum prædicationis, ac salutaris doctrinæ adeo necessariis, judicatum est conducere omnino, ut rigor ille ex ea parte remitteretur. Quare etsi neque ad mitiorem regularium Canonice habitum (in eum, quem B. Virgo designarat, jam antea commutatum), neque ad amplas admodum possessiones sit factus regressus, attamen anno 1475, a Sixto IV est obtenta dispensatio, quam postea Concilium Tridentinum omnibus, præter Minores, religionibus indulsit, ut redditus in perpetuum habere liceret in communi. Nimirum intellexerunt illius Capituli Patres, ut videre est in declaratione citata, n. 3, lit. H, paupertatem non esse ipsam religiosam perfectionem, sed ejus instrumentum, sive medium; ideoque pro exigentia finis a religione intenti esse attemperandum; quemadmodum etiam S. Thomas 2. 2, q. 188, art. 7, copiose disseruit; de quo iterum in sequenti tractatu, lib. 1, c. 9, et lib. 4, c. 4, circa Societatis nostræ paupertatem, rigoresque alios, sermo redibit. Hic vero declarandum esset pro mendicitate hujus religionis, cum ex non mendicante a principio facta sit mendicans ob renuntiationem reddituum in communi, post regressum tamen ad redditus non amiserit rationem religionis mendicantis. Sed hæc dubitatio tractando divisionem religionis in monachalem et mendicantem expedita manet lib. superiore, in c. 8, a n. 8.

11. *De obedientiæ amplitudine.*—Denique obedientiæ votum satis arduum est in hoc sacro Prædicatorum ordine; de quo declaratio c. 15, lit. K, in dist. 1, ita habet: *Declaramus, quod religiosus non teneatur obedire Prælato in iis quæ sunt contra præcepta Dei et Ecclesiæ, etc. In dubiis autem tenentur omnes obedire.* Unde a contrario palam intelligitur extendi ejus voti materiam (saltem post dictam declarationem) ad id omne quod culpam non devolvit, quod tamen juxta propriam regulam et institutum limitandum est, ut infra, in sequenti tractatu, agendo de obedientia Societatis, latius explicabimus. Ut autem omittam, satis arduum est institui hunc ordi-

nem peculiariter ad reducendos hæreticos; quia ea de causa ad conversandum inter illos, non sine vitæ discrimine, utpote fidei Catholicae hostes, est expositus. Sed et subjectionis non minimæ indicium illud est, non posse quemlibet religiosum a correctione, quantumvis rigida, si regularis sit, appellare ad Superiorem, etiam intra religionem, prout in Constitutionibus, d. 2, c. 8, n. 5, disponitur; et in declarationibus ejus loci latius habetur. Atque hæc, de mediis quæ ad substantialem perfectionem ordinantur, sint satis.

12. *De accidentariis mediis ad finem assumptis.* — Quot et quales inde prodierint religiosi. — De mediis accidentariis, regula scilicet et observantiis aliis, sunt, qui ex Carthusiensium ordine sumptas fuisse credant, fortasse quod in externo habitu aliquam præferant convenientiam; et a carnibus tota vita, ut diximus, ex statuto abstineant. Id tamen minus probabile apparet, ex declaratione ad c. 15, n. 4, lit. E, in dist. 2 Constitutionum, ex historia Fr. Ferdinandi de Castillo, lib. 4, cap. 33, ubi a B. Virgine designatum fuisse Prædicatoribus habitum refert. Itaque delegit sibi B. Dominicus imprimis probatissimam sancti Augustini regulam, ut patet in forma ipsa professionis proposita in d. 1, c. 15, initio, additis ad finem quasi specificum novi ordinis constitutionibus accommodatis, de oratione, de abstinentia, aliisque corporis austeritatibus, quas jam diximus, et amplificat etiam Castillo, lib. 4, c. 60. De studiis denique sacræ doctrinæ ac profanæ quoque ad illam capessendam requisitæ, quorum quidem studiorum curam et providentiam quantum habuerit S. Dominicus, satis describitur in distinct. 2, c. 14, per totum, juncta declaratione. Satis etiam probavit eventus, cum ex eo ordine, tanquam ex Trojano equo, vel potius arce instructissima ad destructionem munitionum, ut Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositarum, prodierint strenui propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerunt. Inter quos S. Thomas, tanquam inter reliqua minora lumina fulgentissimum astrum, longe lateque coruscat¹. Vel ab ea deerrantes revocaverint, vel certe in pertinaces, a Sede Apostolica Inquisitores delegati adniverterunt, quam denique nobili martyrio fuerunt testati. Sed piget omnium catalogum texere, cum facile constare possint ex ipsius ordinis monumentis; imo et

¹ Castillo, fol. 205, col. 1.

constare quot et quales prodierint Ecclesiæ Prælati¹, Sacri, ut vocant, Palatii magistri, monarcharum Hispaniæ confessarii, quot in celeberrimis Academiis professores primarii, ut facile credas, omnia hæc jure pene hereditario huic illustri ordini obvenisse; adeo ut per annos non paucos rari fuerint in republica litteraria alicujus nominis viri in doctrina sacra conspicui, qui Dominicanæ familiæ non essent alumni.

13. *Ex hoc ordine duo alii fluxerunt.* — Præter hanc regulam, sub qua ipse B. Dominicus sanctissime vixit et obiit, instituit duos alios religiosæ vitæ ordines: unum pro sororibus, quem sanctimonia æque ac generis claritate non paucæ feminæ decorarunt, ut videre licet in ejusdem religionis annalibus; alterum pro fratribus et sororibus, primo quidem de militia Christi nuncupatis, eo quod ad bona Ecclesiæ, ab injustis per id tempus invasoribus tuenda instituerentur postea vero, tanta contra Ecclesiam cessante injuria, nuncupatis de Pœnitentia, seu de Tertiâ Regula. Quod vitæ genus, licet ad essentiam religiosi status non pertingat, ut ex ipsa regula intelligitur, atque etiam ex similibus S. Francisci et S. Augustini Tertiariis constat, attamen a Sede Apostolica variis privilegiis fuit communitum; et tandem, ipsis ejus professoribus supplicantes ab Innocentio VII et Eugenio IV tanquam pium et laudabile confirmatum. Vide, si placet, tractatum de initio, seu fundatione hujusce confraternitatis, qui cum ipsis Prædicatorum constitutionibus circumfertur, et citatum Ferdinandum de Castillo, lib. 1, c. 49.

14. *Concluditur instituti Prædicatorum perfectio.* — Non potest igitur prædictum ordinis Prædicatorii institutum non esse perfectissimum, ac in supremo gradu statum religiosorum numerari, cum talem finem taliaque media amplectatur; totque ac tam ingentes fructus in Ecclesiâ Dei protulerit². Et (quod in minimis laudibus ponendum non est) cum acerbis odiis sit impugnatum ab externis, a domesticis discolorisque religiosis turbatum, et nonnunquam ab ipsa Sede Apostolica privilegiis exautoratum, inconcussum nihilominus hucusque perseveravit.

15. *Observatio prima circa idem institutum.* — *Secunda.* — In ipsis porro constitutionibus

¹ Castillo, fol. 67, col. 2.

² Castillo, fol. 298, et 301, p. 2.

observandum primo, eas ex vi sua ad nullam culpam obligare, ut passim in eisdem exprimitur et declaratur. Exceptio vero de contemptu, quæ in eis fit, late discutitur superiori tractatu, lib. 4, c. 4. Secundo, declarationis illius, quæ in dist. 1, c. 15, n. 1, lit. I, § *Præterea*, habetur, ordinem Prædicatorum præstare inter alios *ratione majoris arctitudinis, et asperitatis, quod sit arctior omnibus religionibus mendicantibus ob parvitatem cibi, et longiora jejunia*; hujus, inquam, declarationis sensum esse, hanc unam esse ex arctioribus religionibus secundum quid, non universim; cum probatio illa de parvitate cibi, et longis jejuniis non amplius conficiat. Aliæ enim sunt austeritates apud mendicantes etiam religiones, quibus (ut pure monachalem Carthusiam, de qua citata declaratio id non inficiatur, et aliis fortasse concedet) astringuntur et commendantur, pedum scilicet nuditas, vestitus simplicitas et asperitas, numerus præceptorum gravium non exiguus, et similes, quæ in ordine Minorum vigent. Præterquam quod religionis arctitudo ex aliis observantiis eo difficilioribus, quo interioribus, maxime est metienda, ut tractatu sequenti, lib. 4, c. 9, uberius ostendemus.

16. *Tertia.* — Tertio observandum declarationem alteram indefinite prolatam, eod., c. 15, lit. A, nimirum *professionem solemnem facere religiosum, esseque obligationem absolute factam*, ut vera sit, necessario intelligendam esse de obligatione absoluta ex parte votantis, ut sumi potest ex iis quæ sequenti tractatu, lib. 3, per tria priora capita late prosequemur. Quod autem sensus hic sit, sufficienter colligitur ex similitudine homagii ibidem allata; hoc enim acceptantem non obligat, sed dantem. Similiter, quod in littera K subjungitur, professionem religiosam ab omni voto simplici liberare, non procedit de iis simplicibus, quæ Societatis scholares post biennium novitatus emittunt. Constat siquidem, ut sequenti tractatu dicemus, donec talia vota ab ipsa Societate, aut a Pontifice relaxentur, validam ubivis, præter Carthusiam, professionem ab eis emitti non posse. In hoc enim, sicut in plerisque aliis prærogativis, ea vota fuerunt a Pontificibus solemnem professionem æquiparata. Non procedit rursus ea declaratio de simplici voto, etiam in seculo nuncupato, si tertiæ personæ juri quæsito præjudicaretur; velut si quis divini honoris intuitu voveret, largiturum se alicui pio loco bona sua; tunc enim, licet alibi profiteretur, voti

tamen simplicis reus esset. Atque hæc de hoc toto capite dicta sufficiant. Reliqua ad hunc ordinem spectantia, scilicet, de creatione Prælatorum, deque eorum officiis et obligationibus, sive regulis, de forma Capitulorum, ac judiciali correctione, minutius persequi nostrum non est; ac sæpius citato libro Constitutionum traduntur accurate.

CAPUT VII.

UTRUM RELIGIO MINORUM UNA SIT EX MENDICANTIBUS; ET QUAM ORIGINEM ET INSTITUTIONEM HABUERIT?

1. *De ordinis Minorum fundatore et origine.* — Sacra Minorum religio Dominicanæ germana soror est, eodemque fere tempore nata, et vinculo charitatis jam olim, tam in suis parentibus, quam in filiis conjunctissima. Auctorem habuit Seraphicum Patrem Franciscum Assisinate, qui post conversionem suam singularis sanctitatis prodigium fuit, et novum humilitatis ac mundi contemptus exemplar. Hic ergo gloriosissimus Patriarcha (omissis iis, quæ ad initia conversionis et vocationis ejus pertinent) de nova religione instituenda deliberavit ac decrevit anno Domini 1209, qui annus (quod mirabile est) vigesimus septimus erat ætatis illius, et quintus a sua conversione, quia natus dicitur anno 1182, et anno 22 ætatis suæ fuit conversus ad Dominum, hoc est anno 1204. Post quinque igitur annos socios habuit, et de religione instituenda tractavit, ac regulam scripsit, tandemque ad Innocentium III cum duodecim sociis discessit, sui ordinis confirmationem supplicaturus. Et licet in principio repulsam passus fuerit, tandem divina revelatione Pontifex commotus, illam concessit anno Domini 1212, non quidem solemnem, nec litteris consignatam, sed vivæ vocis oraculo. Et D. Anton., 3 p., tit. 23, c. 1, dicit solum fuisse veluti permissionem illius status pro tunc; tamen revera ex tunc fuit constitutus verus status religiosus; et Franciscus cum sociis in manibus Pontificis solemnem professionem fecit, fuitque a Pontifice Generalis constitutus.

2. *Ejus confirmatio solemnis recentior quam Prædicatorum.* — *De fine, seu instituto hujus ordinis.* — Hinc vero factum est ut, licet ordo Prædicatorum approbatus non fuerit usque ad primum annum Honorii, nihilominus antiquitate præcellere censeatur, semperque in jure prius nominetur, ubicumque simul nominan-